



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia  
Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Ioachimvs I. Abbas Heremitarvm XXXVI. Princeps Imperii Decimvs Nonvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



IOACHIMVS I. AB  
BAS HEREMITARVM  
XXXVI. PRINCEPS IMPE-  
RII DECIMVS NONVS.



VIVS Abbatis tanta coniuncta cum facilitate  
virtus extitit , recuperandis Monasterij pignora-  
tis, aut alienatis bonis , & possessionibus, in re-  
gulari disciplina constabilienda , nouisque ædi-  
ficijs ex fuscitandis , vt prope secundi fundatoris nomen , &  
gloriam promeruerit. Præsidente eo , vñus & viginti in no-  
stro Monasterio professionem religionis fecere , & plerique  
omnes non in eo solum , sed ad alia Monasteria adsciti , ad  
amplissimas dignitates , & officia peruenere. Decumas  
Milani , Stefæ , Menidorffii , arcem , & iurisdictionem Fefico-

nis maxi-

nis, maxima pecunia, partibus varijs obligatas, & detentas, repræsentata summa, exemit pignore, & nostri iuris reddidit. Officium Aeschentij amplum, & opulentum, sed per relligionis nouitates, & discidia in diuersa raptum, & prope ad nihil redactum, iudicantibus octo Cantonibus, ingenti animo euicit, & recuperauit. Colonos qui possessiones, decumas, aliaque debita, pro sua lubidine, vendiderant, alienarant, commutarant, abligurrierant, ab Nouatoribus seducti, & circumuenti, qui, noua relligione recepta, omnes decumas, & ciusmodi obligations aboleri in vulgus spargebant, tollique omnia talia obsequia, & onera, liberosque omnes fore qui sua dogmata sequerentur, iactitabant, ad officium compulit, sententia, & auctoritate eorumdem Canttonum. Fortem, imperterritum, constantem, & assiduum, contra quoscumque aduersarios, qui & multi, & diuersi è subditis, & pariter externis, se semper præstítit, nihilq;, quod ad suum Monasterium pertinere de iure credebat, intermisit, egregij Principis, & optimi Oeconomi officium impleuit. Neq; enim solum ea quæ desiderabatur vindicauit, sed multo alia plura mercatus est, quæ sibi idonea, & opportuna videbat, in quibus fuit media vici Aeschentij pars, & Maioratus cum omnibus ad vtrumq; pertinentibus, quæ ab Ioanne Iacobó nobili ab Liebenfels emit, & exsoluit. Quantam verò apud omnes auctoritatem obtinuerit, quantam de sua eruditione, & integritate opinionem præbuerit, clarum ex eo argumentum quod ordo Ecclesiasticus totius Heluetiæ, conuentu Raperfwillensi, A.D. N.c 15. D. LXI. dignū præ omnibus, & potissimū iudicarint, quem suo nomine, ad Conciliū Tridentinum mitterent. Sed pontifex ipse Pius V. quanti eum fecerit bulla sua, quam motu proprio edidit, manifestè declarauit. Cum enim intellexisset Pontifex Ioachimum cupere præcedentium pontificum priuilegia, decreta, Indulgencias, & remissiones, etc. Apostolica auctoritate, ab ipso, & dicta Sede confirmari, & approbari. *Nos, inquit, erga eum-de Ioachimum, & successores suos gratiosum, & liberalē exhibere, ac diuini cultus augmēto & dicti Monasterij sublenatio-*

Q q 2

ni inten-

ni intendere volentes singularum literarum predictarum, alio-  
rumq; hic de necessitate exprimé dorum veriores tenores pra-  
sentibus pro expressis habentes, ipsumq; Ioachimum specialibus  
favoribus, & gratiis prosequentes, & à quibusuis excommu-  
nicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis  
sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis oc-  
casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus ex-  
istit, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harū  
serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Motu proprio,  
non ad eiusdem Ioachimi abbatis, seu alterius pro eo Nobis  
desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera libe-  
ralitate, omnia, & singula, Indulgencias, & peccatorum re-  
missiones, absolutiones à pœna, & à culpa predictam Ecclesi-  
am, & Capellam visitantibus, illarumq; confirmationes, &  
approbationes, nec non nouam concessionem huiusmodi sangu-  
lasque gratias, indulta, exemptiones, immunitates, subiectio-  
nem, suppositionem, singulasque prorogationes, extensiones,  
ampliations, & advocationes, ac commissiones caussarum  
eiusmodi per eosdem prædecessores nostros concessa, nec non om-  
nes, & singulas literas, super præmissis, per supradictos præde-  
cessores nostros quomodolibet factas, ac prout ea concesserant,  
omnia, & singula in his contenta, & inde secuta quacumque  
quatinus sint in uisu, dicta auctoritate Apostolica, tenore pra-  
sentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisq; perpe-  
tua, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, eaque omnia  
valida, & efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri de-  
bere decernimus, & declaramus. Data Roma apud S. Pe-  
trum Anno Incarnationis Dominica Millesimo, Quingen-  
tesimo, Sexagesimo secundo. Quinto Idus Februario. Ponti-  
ficatus nostri Anno 1 V. Ne ad finem usque Concilij Triden-  
tini perduraret valetudo impedijt, quæ ex multis laboribus  
contracta, & perpetuis curis aggrauata denique ad plures, &  
sanctiores deduxit, Anno Domini. c 10. D. LXIX. Idibus Iunij,  
ætatis L. Principatus x x v. cuius confirmationem, vti & re-  
galiorum ceterorum Monasterij impetravit primo ab Fer-  
dinando I. Imper. Anno LIX. regni Romani x x ix. cetero-

rum xx-

rum **xxxiiii.** Viennæ v. Non. Octob. & omnium nomine, ex edicto Cæsario, Abbatibus Vvingartensi, & Ochsenhausano, vice Cæsarisi, fidei, & obsequij iuramentum præstítit, anno **lx.** quarto Kalend. Decembris, Vvingartæ. Dein etiam ab Maximiliano **ii.** Augustæ Vindelicorum Anno sexagesimo sexto, Non. Aprilis, regni Romani **iv.** Hungariei **iii.** Bohemi **xix.** Erat Ioachimus Villæ Turgouiæ opido natus honestis magis, quam claris parentibus. A prima adolescentia sub Ludouici antecessoris sui disciplina in Heremo doctus, & educatus talem se præbuit, ut maioribus suis non modo, sed ordini nostro Benedictino vniuerso virtute sua illuxisse videri potuerit. Lectus abbas, et si inter collegas esset minimus natu, discipline præcipue incubuit. Clausuram Monasterij ab aliquam multis annis neglectam primus omnium restituit, & seuerissimè seruari voluit, comperto monachum extra monasterium non secus se habere quam ex vnda piscem. Ut reliqua pariter per Heluetiam non modo, sed etiam Sueuiam monasteria ad priscam viuendi formulam reuocarentur magnopere laborauit, haut ignarus quantum corrupti Ecclesiasticorum, & religiosorum mores ansam in eos intucheridi, ac sœuendi Nouatoribus præbuerint. Plurima eius eximia extant ædificia. Præcipui nominis Monasterium Faræ, & Præpositura S. Geroldi, quæ penne ex fundamentis restituit. Feficone Sacellum, & cellam condidit: In Heremo inferiorem Basilicam fornicato opere illustravit: Sacellum Principale S. Michaëlis exstruxit, circutus ad hoc monasterij maiorem partem absoluit, alia infinita erexit, vt ex eius passim insignibus numquam interitus videberelicet, super tot diuersis locis, & vicis Monasterio subiectis è nouo pariter eductis, aut reparatis ædificijs. Post eius obitum lectus Abbas Adamus Heer Rapersvillensis. **xxvi.**

Iunij. Electionem adprobauit sub annulo Piscatoris.

Pius Papa v. Romæ quo se haut multo post electionem, vt inauguretur, Adamus contulerat.

Qq 3 ADA-